



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi
Societatis Iesv**

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Rebus omnibus se spoliat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

virtutum documenta edebat suis illis eiusdem secum cubiculi habitatoribus, ut cum fortè aliquando (vti fit) contubernij superior statuisset Adolescentulum quemdam, qui Ioanni adhabitabat, in aliud immigrare cubiculum, tanto ille gemitu dolorem suum est testatus, vt è re esse iudicatum sit, non dirimere tam utilem charamque societatem; adeò se præstantibus virtutum incitamentis spoliatum iri per eius absentiam querebatur, cuius in eodem cubiculo præsentia inflammati se non secùs atque Angeli cuiusdam conspectu asserebat. Enitebat in eius cubiculo quidam paupertinæ inopiæ splendor: nec librum, nec rem ullam non necessariam apud se habebat; quin palimpsesti cuiusdam gypsatas tabellas, tamquam superfluas, domus Ministro restituebat.

*Cubiculi
paupertas.*

*Rebus om-
nibus se
spoliat.*

E Belgio Romam profectus, cingulum visum sibi aliquantò quam aliorum præstantius, vestium curatori seruandum dedit, sumpto alio viiore. Imaginibus quoque, quas bono numero (vt discedenti datae erant) attulerat, se abdicavit; ijs solùm retentis quibus illi sua nomina inscripserant, qui preces eius flagitabant: atque his quoque, cum rogaretur, haud grauatè se nudauit: quin omnes deinde vel è Belgio, vel à ciuibus suis dono acceptas, Rectori offerebat, eiusque ad ostium,

ostium, si abesset, relinquebat; quem eius morem vel hoc signo habebat exploratum. Quod autem aliquando vnam è chartâ icunculam fratri alicui prius dedisset, quā à Superiore (qui non reperiebatur) facultatem impetrasset; etiamsi quidem & petendae postea facultatis proposito, & opinione facillimi consensus eam donauisset, reliquo tamen vniuersæ vitæ tempore factum deplorauit, idemtidem se culpæ illius apud Rectorem accusans, quam ne obliuio deleret, memoriæ ita commendauit: *Semel vnam imaginem dedi alteri, non prius petitâ facultate.* Etiamsi, ut dictum, petendæ facultatis haberet voluntatem, & crederet donationem à Superiore approbatum iri. Die quodam rarâ cum animi lætitia dixit, se, Dei gratiâ, nihil iam habere, ne imaginem chartâ ceam quidem; & si quid reliquum habuisset, protinus allaturum suisse ad Rectorem. Quamquam non modò non habebat, sed ne habere quidquam cupiebat; sic omni vacabat creatarum rerum cupiditate. Sæpiusculè ab eo scriptum reperio, nulli rei animalium habuisse affixum, sed omnibus expeditum. *Nulli, inquit, rei sum affectus; nihil habeo cui afficiar.*

Amore quodam singulari Religiosæ paupertatis, quamprimum manè luce hiberni solis

*Non rebus
modò, sed
affectu re-*

*rum quoq;
se exiit.*